

suae vocationis expressit nec inventus erat qui consilium posset dare. Juvenis autem hoc videns domino suo supplicavit quod permetteret ipsum regi super facto isto respondere. Patronus autem negavit, non credens quod juvenis eidem quovis modo satisfacere posset. Hoc non obstante juvenis surrexit et dixit regi: 'Domine rex, habetisne ratum illud quod spondistis dicenti vobis factum rei?' Rex firmavit illud se procul dubio facturum. Tunc dixit juvenis: 'Dico vobis quod isti tres corvi sunt quorum duo sunt masculi et una femina est. Et haec corva fuit uxor corvi senioris. Supervenit eidem tempus caristiae magnae et tunc corvus senex expulsit eam et juvenis corvus recollegit eam sed dum modo fertile tempus factum est ille antiquus corvus repetit uxorem suam a juvene corvo, qui eam tempore sterili expulsam a sene recollegit et uterque allegat id quod sibi utile existit: antiquus primam desponsationem, juvenis vero tempore sterili ejus recollectionem, firmans illud tali ratione quod ubi est periculum ibi commodum collocetur. In hac ergo quaestione vos (281<sup>b</sup>) ut arbitrum et judicem elegerunt petentes ipsam sententiam dari definitivam; quo facto protinus recedent a vobis nec vos quovis modo de certo molestabunt.' Rex dixit: 'Do ergo sententiam quod corva sit juvenis istius corvi, qui eam tempore caristiae recollegit.' Quo dicto statim appellatione postposita corvus juvenis cum corva sua discessit per unam partem, senex corvus per aliam, nec rex per ipsos amplius erat molestatus. Et tunc rex juxta promissum dedit filiam suam juveni supradicto cum medietate sui regni et multa bona contulit patronus navis eo quod talem juvenem in ejus regnum adduxisset. Contigit autem quod in terra ubi erat juvenis et pater ejus carnalis qui eundem volebat suffocasse maxima caristia supervenit, propter quam causam pater et mater ipsius juvenis, qui modo factus est rex, coacti sunt exire terram et ad civitatem ubi erat eorum filius rex pervenerunt. Quadam vero die rex equitans per civitatem et obvians patri et matri cognovit eos et misit unum de ministris suis post eos ad videndum ubi hospitarentur. Quo viso et experto, rex fecit magnum convivium ac magnam invitavit multitudinem ad dictum hospitium ubi mater et pater erant hospitati. Cum autem hora prandii venisset, venit rex cum sua comitiva et cum omnia parata forent fecit aquam suis manibus ministrari. Pater festinus recepit vas cum aqua et mater tobaleam. Sed rex dixit: 'Sinite facere ministros.' Et tunc rex posuit patrem in capite mensae ipseque sedit juxta eum et tertio matrem sedere jussit et quarto sederunt alii mili-